



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


Caroli Qvinti Romanorvm Imperatoris Semper Avgusti Edictum, contra Nouatores Orthodoxæ & Catholicæ Religionis

Karl <V., Heiliges Römisches Reich, Kaiser>

Coloniæ, 1544

VD16 D 933

urn:nbn:de:hbz:466:1-34922



Th. 1440a.

1. Caroli V edictum ꝛ. novatores, Worms 1521
2. —"— Superflua dñi Coluan dno
Sudf. Kol. Lann zu blaisen C. 1544,
3. Offensio decessionibus dñi Capituli ꝛ. C. 1544
4. Dissalbe manuscul dñi Fabrysch, dñi
Jandiculus abjurjstia, mit
dñi anerkenn.
5. Appellatio Coloniensium in @ Relig. 44
6. dñi Capituli an dñi Fabrysch. 25 Oct. 44,
7. Citatio Imperatoris ꝛ. Archiep. Col. 45
8. Appellatio Archiepiscopi,
9. Citatio Curie Rom. ꝛ. Archiep.
10. Responsio cleri Col ꝛ. appel. Archiep.
11. Caroli V. Displicuit fuis Colu.
12. Jo Cochleus ad Capit. col. 1. Aug 45.
13. Herm Archiep. ad Wormatenses
14. idem ad Imp. Carolum V.
14. Cochleus pro Roffensi et Thoma
Moro
15. Capituli zu C. ven dñi dñi Imp. 8 Aug 45
16. Dissalbe an dñi Philippo Landgraven
17 Nov 45

Die alte Nummerierung ist falsch.

Insgesamt 30 Stücke

Dr. Meißner, Bonn
April 1957

17. Act. Decapital zu C. protokol
gegen die Herren Landtag, 7 Dec. 45

18. Sententia Nuntii ap. pro
Capitulo V. Decanum.

19. Zusammenkunft der drei weltlichen
Stände am Hof Decapital
und des Hof Oelmeist.

30 May 21. 8. May.
Dok. 27 anno vocemate
14

E
189

CAROLI QVINTI ROMANO RVM IMPERATORIS SEMPER AV.

gusti Edictum, contra Nouatores Orthodoxæ & Catholice
ca Religionis. Editum Anno Christi-1521


Liberarius Adinghoff Paderbornæ



Colonia excudebat Iaspas Gemepaus. Cum Gratia &
Priuilegio Casaræ ac Catholicæ Maiestatis.

Anno Christi M. D. XLIII.

LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



AROLVS Quintus, diuina fauente ele-
mentia electus Romanorū Imperator, sem-
per Augustus, ac Germaniæ, Hispaniarum,
utriusq; Siciliæ, Hierusalem, Hungariæ, Dal-
matie, Croatia, &c. Rex. Archidux Austrig,
Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiria, Carin-
thiæ, Carniole. Comes Habsburgi, Flãdriæ,
& Tirolis &c. Vniuersis & singulis Sacri
Romani Imperij Electoribus, alijsq; Principi-
bus, tam ecclesiasticis, q̄ secularibus, Archiepiscopis, Episcopis, Præ-
latis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus,
Militibus, Cliētibus, Præfectis, Præsidibus, Iudicibus, Scultetis, Bur-
gimagistris, Cōsulibus, Scabinis, Ciuitatum, Oppidorum, uillarum,
terrarum, & quorumuis aliorum locorum Cōmunitatibus, Nec non
Vniuersitatum, Studiorum siue Gymnasiorū rectoribus, & locum te-
nentibus, seu Officialibus eorundem, ac cæteris quibuscunq; Nobis
tam iure sacri Imperij, q̄ hæreditario, aut alio quocunq; modo subie-
ctis & fidelibus dilectis, cuiuscunq; status, gradus, aut cōditionis sint,
& ad quos præsentis uel earundū exemplum, nostro, uel alicuius Præ-
lati ecclesiastici sigillo, siue etiam publici Notarij manus subscriptione
communitum peruenerit, Gratiã Cæsareã, & omne bonum.

¶ Ad ueri Romanorum Imperatoris officium pertinet, nō solum
fines huius sacri Imperij, qd prædecessores nostri Germaniæ princi-
pes, ob defensionem Sanctę Romane, & uniuersalis ecclesiæ, suo suo-
rumq; sæpius effuso sanguine, p̄ diuinam gratiam sibi quæsierunt, ad
orthodoxam uia adductis uel expulsis infidelibus, ppagare: Verū etiã
am ne qua hereseos labe, aut suspicio in iam sibi subditis nationibus
sacrosanctã religionē nostram cōmaculet, summo studio prouidere.
Aut si qua iam oriri cœperit, eam om̄i ope, omniq; cura, iuxta normã
a sancta Romana ecclesia hætenus obseruatam delere penitus, & ex-
tinguere. Quod si quis alius e maioribus nostris, tãto Nos magis præ-
stare debemus, quãto dei Opt. Max. immensa benignitas Nobis plu-
ra regna, & dominia, pluresq; & magis bellicosos populos, maioresq;
uires, q̄ iam multis seculis alicui Principi, qui hisce titulis sit potitus,
ad suæ sanctę fidei tutelam, & incrementum elargiri dignata est. Acces-
dit quod quū ex paterno genere e Christianissimis Imperatoribus, &
Archiducibus Austriæ, Ducibusq; Burgundiæ, ex materno uero, Ca-
tholicis Hispaniarū, Siciliæ, & Hierusalem Regibus simus orti, quo-
rum omnium pro fide Christiana res præclare gestas nulla unquam de-
lebit obliuio: non sine graui conscientiæ nostræ onere, & perpetua

nominis nota, quadamque ueluti nebula felicibus ineuntis Principatus nostri auspicijs offusa factū crederetur, si q̄ iam ab hinc trienniū pululare in Germania coeperunt, nouas qualdā hæreſes, imo uerius iam ſæpe olim per concilia, & Sūmorum Pontificum decreta approbāte eccleſia damnatas, & nunc denuo ueluti ab inferis erutas, altiores iacere radices ulla noſtra negligentia paſſi eſſe uideamur.

¶ Sane ueſtrum neminē ignorare exiſtimamus, q̄bus erroribus & hæreſibus ab orthodoxa fide lōge alienis, q̄dam frater Martinus Lutherus ordinis ſancti Auguſtini, religionē Chriſtianam in hac p̄fertim inclyta Germanica natiōe, omnis infidelitatis, & hæreſum p̄petua oppugnatrice, ita inſicere conet, ut niſi mature occurratur, tota hæc natio, & deinde ſerpēte contagione uniuersa Chriſtiana reſ publica in abominandum ſchiſma, & bonorū morum, paciſq̄, ac tandem deſtandā ſuipniciem prolapsura uideatur. Quapropter non immerito cōmotus ſanctiſſimus in Ch̄o pater Dñs Leo. x. Sacroſanctę Ro. & Vniuerſalis eccleſiæ Sūmus Pōtifex, ad quē fidē catholicā, & eccleſię ſacramēta curare ſpectat, p̄dictū Martinū a principio clementer & paterne monuit, & hortatus ē, ut a nefandis huiuſmodi inceptis deſiſteret, & iam ſparſos errores reuocaret. Q̄ quum ille neglexiſſet, & peiora ſemprioribus adderet, Idē Beatiffimus Pater ad opportuna neq̄tamen in ſueta remedia p̄cedere ſtatuit: Itaq̄ conuocatis ſepius Reuerēdiſſimis ſanctę Ro. eccleſię Cardinalibus, Episcopis, ac alijs Prælatiſ, nec non regulariū Ordinum Prioribus ſeu Miniſtriſ ḡnralibus, accerſitiſq̄ pluribus, ſciētia & probitate p̄ſtantibus uiriſ, & in om̄i doctrinarū & linguarum genere eruditiſ, ac diuerſarū Chriſtianorum nationum doctōribus & magiſtriſ, p̄dicto tamen Martino prius uocato, ac citato, & in cōtūmacia perſiſtente, ipſius ſcripta tam Alemanico q̄ latino ſermone edita & edēda, ut pernicioſa, & fidei unitatiq̄ eccleſiæ cōtraria, auctoritate ſua Apoſtolica, p̄fatorumq̄ ad hoc accedente Cardinaliū conſilio & aſſenſu, ac Episcoporum, & Prælatorū, Doctorumque & Magiſtrorum matura deliberatione, dānauit, & ubique locorū comburenda proſuſq̄ abolenda cēſuit, & decreuit. Martinū uero ipſum niſi infra certum expreſſum terminum a publicatione decreti ſanctitatis ſuæ mutata ſentētia ſe errores ſuos reuocaſſe, & ad pœnitentiam rediſſe docuiſſet, ut inobediētia & iniquitatis filiū, ut ſchiſmaticum, & hæreiticum ab oībus euitandum, & prout iura poſtulant, puniendum declarauit, ſub pœniſ & cenſuriſ, q̄ in Apoſtolicis litteriſ bullæ plumbea cōmunitiſ, & ſuper hac re editiſ latius continentur. Quas ad Nos, ut pote Chriſtianæ fidei uerum & ſupremū propugnatores, & ſedi Apoſtolicę, ſanctęq̄ Romanę & Vniuerſaliſ eccleſiæ prima

rium filium, & aduocatum per suum & dictæ Sedis specialem Nuncium, & Oratorem, Honorabilem uirum nobis dilectum Hieronymum Alexandrum, eiusdem Sedis Protonotarium, & Apostolicæ Bibliothecæ præfectum, dedita ad hoc opera misit, petens atque requirrens, ut pro officio ac debito Imperialis dignitatis in uniuerso primū Romanorum Imperio, deinde (quod Catholicum Regem & Christianum principem decet) in cæteris etiam regnis, dominijs, & prouincijs nostris, & præsertim in Germania, præstito in auxilium fidei Catholicæ brachio seculari, omnia & singula in iam dictis literis Apostolicis cōtenta inuiolabiliter obseruari, & executioni mādari iuberemus. Post quas quidem prædicto Martino factas a Summo Pontifice, monitionem, uocationem, citationem, & ipsius tandem condemnationē, necnon præsentatas Nobis eiusdem Beatiss. Patris literas, bullāque Apostolicam per uaria & diuersa Germaniæ loca publicatam, & nostro iussu & mādato non solum Louanij in inferioribus dominijs nostris, uerum & Colonia, Treueris, Moguntia, Leodij, executioni demādatam, tantum abfuit, ut idem Martinus respisceret, errataq; sua reuocaret, & petita absolutionis uenia, in gratiam cum Summo Pontifice, & sancta Ecclesia redire procuraret, ut etiam detestabiliores pueri ingenij sui fructus indies ederet, & perinde ac in manifestam Ecclesiæ perniciem furens rueret, complures aceruatim libros non modo nouarum, sed etiam a sacris Concilijs olim condemnatarum hæresum plenos, nec solum Latino, uerum etiam, ut facilius uulgus peruerteret, Alemanico sermone a se compositos, uel saltem suo nomine editos fere quotidie diuulgaret. In quibus (bone deus) obseruatum ab Ecclesia iam tot seculis septem Sacramentorum numerum, ordinē, usum dissipat, confundit, deturpat. Inuiolatas matrimonij leges miris modis foedissime inficit. Extremam unctionem cum Viglesso fictionem dicit. Communicandæ sacratissimæ Eucharistiæ ritum ad damnata Bœmorum reuocat instituta. At saluberrimam cōtaminatis peccato mentibus Confessionem, primum ita inuoluit, ut confusionem eam e confessione fecerit, mox etiam magna in parte conuellit, postremo adhuc peiora se de ea scripturum minatur. Vnde nonnulli iam, (ut accepimus, quod uel auditu est intolerabile) sumpra hinc occasione, de confessionis instituto & modo ceperint subdubitare. Alij mutilatam & truncam fecerint, Alij uero (pro scelus) & confiteri ipsi destiterint, & nequaquam esse confitendum publice asserere sint ausi. Porro Sacerdotalem Ordinem, & per quod sacrosanctū Christi corpus, sanguisq; conficitur, diuinum illud munus Clauiumque Cœlestium potestatem non solum uilissimè pendit Lutherus, & laicis, puerisque, atque adeo

sceminis ipsis communia facit, sed & eosdem laicos ad lauandas sibi in
sacerdotum sanguine manus incitat. Ipsum uero Summum nostre re-
ligionis Sacerdotem, Diui Petri Successorem, & uerum in terris Chri-
sti uicarium, non nisi infamibus & probrosis nominat uerbis, & fre-
quentissimis atque inauditis inuectiuis, contumelijs & blasphemijs in-
sectatur. Liberum arbitrium prorsus nullum esse, sed omnia certa le-
gesta re, ex Manichæi quidem & Vigleffi penu depromit, sed tanquã
irrefragabili argumento, Ethnicorum poetarum carminibus confir-
mat, Missæ uenerabile Sacramentũ neque defunctis, neque uiuis alijs,
quam soli celebranti suffragari scribit. Ieiuniorũ & orationum insti-
tutionem & consuetudinem ab Ecclesia obseruatam inuertit, & cor-
rumpit. De Purgatorio, & Animarum, quæ in eo expiantur, statu,
Deque Diuini sacrificij, & ueniarũ suffragijs, quæ a nobis fideles de-
functi expectant, cum Vualdensibus & Vuigleffitis contra Ecclesi-
am sentit. De Ecclesia uero ipsa militante cũ Pelagianis & Hussitis.
At Sanctorum patrum autoritates & scripta ab Ecclesia recepta, pro
nihilò habet, est ubi etiam sæpe deridet, debitumque illis cultum &
deuotionem deterit & diminuit. Obedientiam, & regimen omne pro-
sus tollit. Vnde populi ad defectionem & rebellionem a suis tam spi-
ritualibus, quam temporalibus dominis faciendam ad rapinas, cedes,
incendia, cum magno & manifesto Christiane reipub. discrimine pro-
uocentur. Quinimo quum uitam quandam solutam, licentiosam, atq;
ab omni lege explicitam, & uere ferinam inducere conetur, ita exlex
homo leges ipsas omnes damnat & contemnit, ut Decreta Sanctorum
Patrum, & sacros Canones publico igni comburere non formidaues-
sit, facturus peiora Ciuili Iuri, si non magis seculi gladium, quam Pon-
tificis excommunicationes & censuras metuisset.

Iam uero Sacrosanctis Concilijs palam contradicere, & pro suo ar-
bitratu detrahere non erubescit. E quibus potissimum Constantiense
illud, quod cum perpetua inclytæ Germanicæ Nationis gloria pacem
& tranquillitatem dissidenti Ecclesiæ dedit, ita ubique mordet, & im-
puro, sceleratoque ore lacerat, ut in magnum uniuersalis Ecclesiæ de-
decus, & offendiculum, sed Germanicæ præsertim Nationis, opa-
probrum, & ignominiam, Concilium ipsum nunc pessime omnium
errasse scribat, nunc synagogam satanæ, quique in eo conuenerant, &
Iohannem Hussitam hæresiarcham comburi iusserant, Sigismundum
utique fel. recordationis Imperatorẽ, & Sacri Imperij Principes, An-
tichristum & suos Apostolos, homicidasque & pharisæos uocet.

Quid quod damnata in eodem Concilio omnia Iohannis Hussitæ errata, Euangelica & Christiana esse, & se recipere probaturumque profiteretur. Approbatos uero eiusdem Hussitæ articulos nequaquam admittit. In tantamque prorupit mentis uesantiam, ut si semel Iohannes Hussita fuerit hæreticus, se plus decies hæreticum Martinus gloriatur, homo usque adeo nouarum rerum, ac potius perditionis humanæ cupidus, ut nihil fere scripserit, uel saltem suo nomine diuulgauerit, cui non aliqua pestis, aliquis lætalis insit aculeus, præter illos libros, ne nominandos quidem, ob execrandam eorum materiam, ipsius tamē titulo editos, & ab eo cum reliquis ut suos agnitos, quorum singula uerba, singula uenena merito quis dicat. Et ne omnia quæ innumera bilia sunt, Lutheri errata singulatim percenseantur, tanquã si hic unus non homo, sed diabolus ipse, sub hominis specie ad perniciem humani generis adsumpta monachi cuculla, quæ plurimorum hæreticorum damnatissimas hæreses, iam diu sepultas in unã sentinam cõgesserit, & aliquas etiam nouissime de suo excogitauerit, sub simulata prædicatione Fidei, quam ad prætexendos suos dolos, tam sæpe, tantoque opere obijcit. Fidem ueram prorsus destruit, sub libertatis, quam promittit, specie, diaboli iugum & seruitutem inducit, & sub euangelicæ professionis nomine, omnem euāgelicam pacem, & charitatē, omnemque rerum ordinem, & pulcherrimam denique totius ecclesię faciem inuertere, labefactare, & penitus pessundare molitur.

¶ Quibus omnibus per Nos & consilia nostra nationum omnium nobis subditarum sæpius & diligenter attentis & consideratis, & præsertim in hac parte ab eodem Beatissimo patre requisiti, absque insigni macula nostra, atque Orthodoxę religionis iniuria & detrimento, rem tanti ponderis negligere nequaquam potuimus, ut etiam non debuimus, neque uoluimus, Sed potius prædecessorum nostrorum Romanorum Imperatorum uestigijs insistentes, eorumque pro libertate Catholicæ & Apostolicæ ecclesię perpetuo laudabilia facta ac pijs & sanctas super puniendis & exterminandis hæreticis constitutiones obseruantes, conuocatis sæpius ad præsentiam nostram propter hoc præcipue, Electoribus, nec non uniuersis Sacri Romani Imperij Ordinibus, & Statibus in hoc Vuormatiensi conuentu congregatis, de eorum omnium & singulorum unanimi consilio, matura deliberatione, & consensu, in hanc tandem deuenimus sententiam, & conclusionem. Vt quamuis hominem ita a Summo Pontifice, & sede Apostolica condemnatum, & in sua obstinata peruersitate obduratum, atque ab usu Catholice

ea Ecclesiae alienum & notorium haereticum audire, omni iure excep-
tum esset, tamen ad tollendam omnem cauillandi ansam, idque quia
nonnulli plerosque libros Martino adscriptos, ipsius esse apertissime in-
ficiabantur, complures audiendum a nobis prius hominem, quam in-
eum ad executionem Pontificij decreti ulterius procederemus, asse-
uerabant, Martinum saepe dictum, misso ad ipsum dedita opera uno e
Caduceatoribus seu Praeconibus & Heraldis nostris, sub libero huc
ueniendi & hinc recedendi saluo conductu accersiri iuberemus. Quod
& factum fuit. Non ut Nos de hoc negotio iudicaremus aut cognosce-
remus (quum id dubio procul ad Romanum Pontificem & Sedem apo-
stolicam pertineat) neque ut res sacrosanctae fidei nostrae nunc tandem
post tot secula per nouas altercationes, cum magno fidelium scanda-
lo & perturbatione, ac infidelium derisione in controuersiam reuoca-
ri pateremur: sed ut cum uulgi & plurimorum ita petentium satisfac-
tione, hominis animum percontantes, eum bonis monitionibus &
suasionibus ad rectam semitam (si fieri posset) reduceremus. Itaque Lu-
therum in Nostra, & sacri Imperij Electorum, Principum, praelatorum,
& Statuum praesentia constitutum, iuxta formam Imperialis manda-
ti, super hac re nuper editi, interrogari iussimus. Primum nunquid ipse
multos libros sibi ob oculos adductos, & titulatim nominatos, & alios
item, qui sub suo nomine circumferuntur, composuisset. Deinde an
ea quae in ipsis libris contra sacra Concilia, decreta Patrum, ritus & consue-
tudines a nostris maioribus ad hunc usque praesentem diem obseruatas, scri-
pserit, reuocare uellet, & ad sinum & unitatem uniuersalis Ecclesiae re-
dire, adhibitis ad hoc nostro & Imperij nomine admonitionibus & adhor-
tationibus, quae obstinatissimum hominem (etiam lapide duriores) emollire
& conuertere potuissent. Qui sane statim libros ipsos ante dictos,
ut suos agnouit & confessus est, & nunquam se id negaturum protestatus.
Imo & adhuc alios se composuisse dixit, quorum copia quum nobis non fu-
isset facta, idcirco in medium non fuerant adlati. Quantum uero ad re-
uocationem attinet, terminum sibi ad respondendum dari petijt: qui
quamuis merito negari potuisset, tum quia nouitates & errores in fide
nulla sunt dilatione tractandi, sed statim penitus rescandi, tum quia
ex mandato nostro sibi legitime insinuato, nec non etiam literis quas
ad eum dederamus, optime admonitus quam ob causam uocaretur,
non nisi statim respondere paratus ad tantum Imperialis Conuentus
confessum uenire debuisset: tamen ex nostra clementia & benignitate
unius adhuc diei terminum ad respondendum sibi dedimus. Quo
elapso, rursus coram N O B I S & praedictis Ordinibus I M-
P E R I I comparens, & similibus adhortationibus saepius,

ut ad cor rediret efflagitatus, pollicentibus etiam nobis, si resipisceret, erroresque suos agnosceret, & quæ in suis libris damnata & mala essent, reuocaret, facile nos impetraturos, ut a Beatitudine Pontificis in gratiam benigne reciperetur, & adhibito fideli, æquo & diligenti examine, ex ipsius libris, quæ mala scripserat, secernerentur, quæ uero bona, autoritate Apostolica approbarentur: se ne uerbum quidem in suis libris mutaturum, imprudentibus simul & impudentibus uerbis, oris que & corporis gestu, quoduis potius, quàm religiosum aut sanum hominem præ se ferente apertissime negauit. Quinimo in nostram & Saeri Imperij faciem Sumorum Decreta Pontificum, & Concilia ipsa sacrosancta errasse sæpius, & sibi ipsis contradixisse, & tandem nullius apud se momenti fore asseuerauit, sequè nihil ex his, quæ scripserat, reuocaturum, nisi euidenti sibi ratione, & Sacræ scripturæ autoritatibus ad suæ conscientiæ animique satisfactionem & assensum fuerit cõuictus. Illud subinde repetens, & inculcans (quo fraudum suarum uirus iam multis detingit ceptum occultaret) conscientia sibi illæsa & integra, ueque uelle se nec posse, uerbum dei immutare. Mala mens. Malus animus. Quasi uero Nos id ab eo peteremus, ut uerbum Dei immutaret, ac non potius, ut iuxta uerum Dei uerbum ad gremium Sanctæ matris ecclesiæ, a qua tam impie, quam turpiter defecerat, rediret. Cuius autoritatem quum tantam uoluerit esse Dominus, idemque Deus noster Iesus Christus, ut qui ecclesiam non audierit, tanquam ethnicus & publicanus sit habendus, Idcirco non immerito uel eam solam omnibus inuentiõibus & ueramentis hæreticorum longe anteferendam nemo nunquam nisi perditissimus, & uere hæreticus & Lutherus iudicauit, qui ut tandè egregia sua hic acta, condigno sine clauderet, & quod pessime inceperat, peius terminaret, quid animi habeat, & quàm fidelium clade exultet, uel in nostro & sacri Imperij conspectu dissimulare non potuit. Nam detorta (ut hæreticis mos est) a uero sensu ad suam impietatem euangelica illa sententia, Non ueni mittere pacem, sed gladium. Omnium sibi, dixit, iucundissimam istam in rebus faciem, uidere ob uerbum dei studia & dissensionem fieri. Id est (quod utinam ne experientia uideremus) ob dissidentes ab Ecclesiæ ritu Lutheri opiniones, quas uerbi dei falso titulo prætextit, uere studia contraria, & dissensiones & dissidia & schismata, & bella, & cædes, & rapinas inter Christianos cõcitari. Tali igitur & tam subdola atque hæreticis omnibus peculiari responsione Nobis & sacro Imperio a Lutero data, & si decreueramus ipso statim remisso ad ulteriora progredi (id quod ex sententia nostra manu nostra scripta, & postera die publicata nemini non cõstare potest) Tamè ad preces omnium Imperiorum inclinati adhuc ipsi triduum ad resipiscendum concessimus.

Quo tempore duo Electores, duo Episcopi, duo Principes seculares, duoque ciuitatum nomine, uniuersos Ordines & Status sacri Romani Imperij representantes, & ad hoc communi omnium iussu & nomine deputati, uocato ad se Martino praedicto nullum non admonendi & adhortandi eum, ut tandem resipisceret, & nisi id faceret, quae ipsum a Nobis & sacro Imperio, Legumque constitutionibus poenae manerent, declarandi officium frustra insumperunt. Vnus etiam eiusdem sacri Imperij Elector, adhibitis secum duobus Doctoribus, pietate & scientia praecclaris, non solum adhortationibus, sed etiam multorum errorum euidentibus redargutionibus, ad ipsius usque obmutescentiam factis, mox seorsim ipsum prudenter & humane commonefecit, ut ad Summi Pontificis, & Sedis Apostolicae, Nostrumque & sacri Imperij Statutum, & caeterarum fidelium Nationum sanam sententiam, iuxta continuatum tot seculis Ecclesiae ritum, potius quam ad suam unius opinionem respiceret, a qua si recedens in ordinem redire uellet, id se primum nonnullorum sanctorum patrum, qui & ipsi aliquando errauerunt, laudabili exemplo, deinde saluis anima, corpore & honore facturum cognosceret. Ad quae Martinus antedictus, etsi uaria pleraque & diuersa, cumque eis quae scripserat pugnantia, nihilo tamen meliora aut saniora priuatim respondit, quam publice coram Nobis & sacro Imperio fecerat. Atque adeo se non omnes modo supramemoratos, sed & Concilium ipsum generale (si quod fieret) suspectum habere protestatus est. Et (ut certissimo, & omni exceptione maiori testimonio Nobis constat) pollicitissimo & sceleratissimo ore profari non est ueritus, Res Euangelij & Catholicae fidei nunquam fuisse in Concilijs generalibus bene tractatas. Vnde non iniuria plurimum nobis mirari subiret, cur nam a Summi Pontificis sententia ad generale Concilium nuper prouocarit, quum tam impie de Concilijs ipsis loquatur & scribat: nisi manifeste sciremus, ut nihil est haereticis aequae formidabile, atque oecumenicum Concilium, ita nihil illis ipsdem magis proprium esse, quam ut dictis, factisque & scriptis secum ipsi dissideant. Quod si usquam alibi, praecipue in Lutheri libris (diuina prouidentia sic operante, quo ipsius uana edificia per se ruant) passim legere & uidere est.

His omnibus & singulis sic omnino ut praemittitur se habentibus, quum praedictus Martinus tam peruerse & obstinate in suis adeo manifeste haereticis opinionibus persisteret, ut ab omnibus istis, qui sapiunt, partim demens, partim etiam malo aliquo obsessus spiritu iudicaretur. Nos iuxta tenorem salui conductus, ipsum statim

a conspectu nostro missum fecimus, datoq; sibi in comitatu uno ex Heraldis nostris, & prescripto termino a die uigesima quinta Mensis Aprilis, qua ex Vuormatia discessit, ad uiginti deinde proxime futuros dies, quibus peractis, una saluus conductus peractus & extinctus censeatur. Nunc tandem ad reliquas opportunas medelas huic pestilentissimo morbo necessarias, in hunc qui sequitur modum procedere decreuimus. ¶ Primum omnium ad honorem Dei omnipotentis, Romanicq; Pontificis & sanctæ Sedis Apostolicæ debitam reuerentiam, pro Imperialis dignitatis officio ac debito, nec non zelo & studio, quo nostrorum maiorum more, & ingenita etiam nobis ui ad defensionem Catholicæ fidei, sanctæq; Romanæ & uniuersalis Ecclesiæ honorem, tutelam & protectionem, omnes nostras uires & facultates, Imperiū, Regna, Dominia, amicos, uitam deniq; & animam ipsam nostram exponere sumus parati. Ex Imperiali & Regia autoritate, nec non consilio & assensu Electorum, & omnium sacri Romani Imperij Principū, Ordinum & Statuum in hac celeberrima & frequentissima Imperiali Dieta Vuormatiæ congregatorum. Ad perpetuam rei memoriam, exequendo sanctissimi domini nostri Papæ ueri in hac parte iudicis sententiam, decretum & condemnationem, in literis Apostolicis (ut supra dictum est) ad Nos directis, contentam, Martinum Lutherum, ut membrum ab Ecclesia Dei abalienatum, ut obstinatum scismaticū & notorium hæreticum a Nobis haberi declaramus, & ut talem a uobis omnibus & singulis habendum decernimus, & edicimus. Mandantes de eorundem Statuum consilio & consensu, sub criminis Læsæ Maiestatis, Nostræq; & sacri Imperij grauissimæ indignationis, ac etiam amissionis Feudorum, Dominiorum & honorum omnium, Gratiarum quoq; & omnium Priuilegiornm, a Nobis & sacro Imperio dependentium, quæ obtinuisistis hæctenus, aut predecessores uestri quomodolibet obtinuerunt, nec non proscriptionis, ac Banni, & interdicti Imperialis pœnis: Ne quis uestrum præfatum Martinum Lutherum receptare, defendere, sustentare, fouere, dicto, facto, aut scripto præsumat. Quinimo post elapsum supradictum uiginti dierū terminum, contra eum, ubicunq; deprehensus fuerit, & in manu, aut facultate uestra erit, iuxta formam Imperialis Banni procedatis, uel saltem personaliter captum tam diu custodiatis, donec Nos a uobis de hac re certiores facti, de legitima in eum prosecutione facienda uobis significemus, & uos tam sancti operis & laboris debita præmia, & mercedē etiam huberem, cū impēlis ob hanc causam factis, reportetis.

Et nihilominus eiusdem Martini complices, adhaerentes, receptatores, & quomodolibet fautores, & sectatores (nisi se iniquitatis semitam deseruisse, & autoritate Apostolica absolutionis remedium consecutos esse fidem condignam fecerint) necnon eorum omnia & singula bona, mobilia & immobilia, iuxta sacras Constitutiones, ac interdicti & Banni Imperialis legem & ordinem, libere & absque ulla contradictione prosequamini, illosque & illa capiat, & in usus uestros, optimo & pleno iure conuertatis. ¶ Mandamus insuper uobis omnibus & singulis praefatis, sub eisdem praenominatis poenis, ne quis Martini Lutheri scripta, a Summo Pontifice autoritate sua Apostolica (ut praemititur) damnata, aut alia quaecumque, tam Latino quam Alemanico, seu alio quouis idiomate ab eo haecenus composita, uel in posterum componenda, utpote mala, suspecta, & a notorio & peruicacissimo Haeretico prouenientia, emere, uendere, tenere, legere, describere, imprimere, aut describi uel imprimi facere, asserere, sustinere, predicare, defendere praesumat: non obstante quod in illis etiam aliqua bona (ad fallendas simplicium mentes) immixta essent. In quo praeter iustam Sedis Apostolicae sententiam, etiam laudatissimam ueterum Patrum institutionem & consuetudinem, omnino exequendam duximus: Qui Arrianorum, Priscillianistarum, Nestorianorum, Eutylianorum, & aliorum haeticorum libros, & in illis contenta omnia, tam bona quam mala, promiscue exusserunt & adnihilauerunt. Neque id immerito: Nam si optimi quique cibi unius tantum guttae ueneni (quo humanum corpus laederetur) infusione suspecti, penitus sunt abiiciendi, quanto magis ea scripta, quibus tanta & tam noxia animabus uenena passim inserta sunt, non solum nobis cauenda sunt, sed etiam (ne alijs noceant) prorsus destruenda & corrumpenda, atque ab omni hominum memoria ueniunt obliteranda. Accedit ad id, quod quicquid boni in Martini libris reperitur, id antea a sanctis patribus, quos Ecclesia recepit & approbavit, sepe dictum, & saepius repetitum, absque ullius periculi aut mali suspitione legi & haberi potest.


¶ Eapropter sub eisdem poenis omnibus, & singulis supradictis, Vos omnes, & quilibet uestrum, tam Principes quam alij, ad quos iustitiam quomodolibet pertinet ministrare, & alij quicumque, in uniuerso Imperio, Regnis, & Dominijs nostris constituti, huiusmodi pestiferos Martini libros, tam Alemanicos quam Latinos, impressos & imprimendos, aut etiam manu scriptos, ubicumque reperiant, (utpote magnae seditiois, schismatis, hereseos in Ecclesia Dei fomites) diripiendos,

& publico igni cōsumendos, penitusque abolendos cū effectu curetis, Apostolicisq; Nuncijs, seu eorū commissarijs, si operā uestrā ad hanc rem requisierint, fideliter & diligēter adstatis. Et nihilominus in eorum absentia, per uos ipsos hęc sic fieri nostro nomine & iussu omīno & re ipsa faciatis. In quo, omnibus fidelibus dilectis subditis nostris, ut uobis, ac nobismetipsis assistant & pareant, tenore præsentium sub eisdē pœnis iniungimus & mādamus. ¶ Verū quia maxime cauendū est ne Martini libri, aut ex illis incerpta mala, suppresso, aut etiam mutato autoris nomine publicent: Quia etiā nō sine magna animi nostri offensa, multos quotidie uidemus & audimus cū alibi, tum maxime in Germania cōponi, & imprimi libros pluribus malis traditionibus, et & exemplis refertos: & ne non omni astu & dolo humanæ naturæ hostis Christianis laqueos tēdat, multas passim diuulgari picturas & imagines non in opprobrium modo priuatarū personarum, sed & ipsius Summi Pontificis, & Sedis Apostolicæ contumeliam excogitatas. Ex quibus omnibus libris & picturis Christifideles in maximos tam in fide, quam in uita & moribus prolabantur errores, & non solum priuata odia, scandala, & simultates (prout experientia docet) multis in locis exorta fuerunt, uerum etiam seditiones, tumultus, rebelliones, schismata, in regnis, prouincijs, & populis, atque uniuersa Dei Ecclesia (nisi prouideatur) iam iam excitanda formidantur. Idcirco ad hanc perniciosissimam pestem extinguedam ex supradictorum electorum & statuum concordī animo & lententia, omnibus & singulis supradictis, tā Imperiali, quam hæreditario iure nobis subditis, sub iam sæpe dictis omnibus pœnis præcipimus & mandamus, Ne quis huiusmodi famosos & pestilentes libros, seu quascunque alias schedas, scripturas, imagines, picturas, contra orthodoxam fidem, bonos mores, & id quod Sancta Romana ecclesia hæctenus obseruauit, atque etiam inuectiuas, criminationes & ignominias contra Summum Pontificem, Sedē Apostolicam, Prælatos, Principes, Vniuersitates studiorum, & eorum facultates, honestasque personas componere, scribere, imprimere, depingere, uendere, emere, tenere, habere, aut imprimi, describi, depingi, uel uendi facere, quauis arte, aut dolo audeat, aut attentet. Quinimo sub eisdem pœnis iubemus omnibus, & singulis supradictis, & præsertim ijs, qui iustitiæ ministerio p̄sunt, ut eiusmodi libros quoscunque, ante hac impressos, uel posthac imprimendos, nec non etiam manu scriptos, cuiuscunque sint autoris, aut ubicunque locorum per sacrum Imperium, atque etiam nostra hæreditaria regna & dominia inueniantur, similiter etiā picturas huiusmodi & imagines nostro iussu & nomine occupent, diripiant, & publico igni comburant.


Et nihilominus huiusmodi detestabilium librorum, codicum, schedarum, scripturarum, & picturarum autores, & inuectores, ac etiam post presentis mandati publicationem, impressores, emptores, & uenditores, qui contra iussa nostra facere praesumpserint (si modo id legitime constiterit) nec non eorum iura, & bona omnia & singula capiant, apprehendant, & detineant, ac iure bono, quicquid sibi libitum fuerit, de illis disponant, ita quod de hoc nulli hominum tam in iudicio, quam extra, respondere sint obligati.


¶ Atque ut omnis eiusmodi & aliorum errorum occasio tollatur, & ne talia scribentium uenena longe lateque diffundantur, sed perclarum imprimendum librorum artificium in bonos tantum & laudabiles usus exerceat, ex certa nostra scientia, animoque deliberato, ac Imperiali Regiaque autoritate, de maturo supradictorum Electorum & aliorum Sacri Romano Imperii statuum consilio, deliberatione, & unanimi consensu uolumus, & sub Banni, & interdicti Imperialis, ac alijs antedictis poenis precipimus, & iubemus, tenore presentis edicti, quod uim inuiolabilis legis habere decernimus: **NE QVIS** de cetero chalcographus, & librorum impressor, aut alius quiuis ubilibet per sacrum Imperium, atque nostra praedicta regna & dominia constitutus, libros ullos, seu aliam quamcunque scripturam, in quibus de sacris literis, aut fide catholica aliquid uel minimum tractatur, non habito prius consensu, & uoluntate Ordinarii loci, aut eius ad hoc substituti & deputati, cum autoritate etiam facultatis Theologicae, alicuius propinque Vniuersitatis, pro prima uidelicet impressione, alios uero cuiuscunque rei & facultatis libros, schedas, & picturas de consensu saltem Ordinarii, aut eius ad hoc substituti, ullo pacto imprimere uel uendere, aut imprimi, uel uendi facere directe uel indirecte quoquo modo praesumat, aut attinet. Quod si quis cuiuscunque sit dignitatis, gradus, aut conditionis, hanc nostram mentem, decretum, statutum, legem, & ordinationem in omnibus & singulis supradictis, tam Lutheranam, quam impressoriam materiam concernentibus, inuiolabiliter obseruandam, ullo pacto aut quouis quaesito colore uel ingenio contrafacere, aut uenire ausu temerario praesumpserit, praeterquam quod illud irritum decernimus & inane, etiam in laesae maiestatis crimen, ac nostram & sacri Imperii grauissimam indignationem, proscriptionisque & Banni, ac interdicti Imperialis, nec non alias sepe dictas poenas se ipso facto incurrisse cognoscat.


¶ Harum testimonio litterarum Sigilli nostri munimine roboratarum. Datum in Ciuitate nostra imperiali Vuormatia. Die octaua mensis Maij. Anno Domini Millesimo, Quingentesimo, uicesimo primo. Regnorum nostrorum, Romani secundo, Ceterorum uero omnium Sexto.





11-11
11-11











E
189

XVII

Th

1440a